

HIERONYMO SCHREIBERO RE-
rum Mathematicarum studioso, amico suo, Ioannes Schonerus
Caroloftadius Mathematicus S. D. P.



CONTINERE me non possum, doctissime Hieronyme, quin sæpe illum animi tui, iam pridem cognitum mihi, candorem in memoriam reuocem: præterquàm enim quòd me semper singulari prosequutus es amore, etiam à studijs nostris uerè cœlestibus, nunquàm abhorrente uisus es ingenio, quod unum, maxime perpetuæ inter nos amicitiaë uincula custodire debet. Quare cum mecum constituissem, hoc potissimum tempore in publicum edere, librum Ioannis Regiomontani uiri citra controuersiam, sua tempestate, Mathematicorum omnium principis, cui titulum fecit ille de Sinibus & Chordis, quibus ad maiorem utilitatem & facilitatem, compositionẽ quoq; tabularum eorũdem Sinuũ, artificiose equidem adiecit: eum librũ nominatim tibi dicare uolui, cũ quòd rebus Astronomicis non tantũ utilia, sed & necessaria uisa mihi sint omnia, quæ nobis Regiomontanus noster scripta reliquit, tum etiam quòd hic liber recta ducat ad cognitionẽ siue intelligentiam librorum, quos idem Regiomõtanus de Triangulis Sphæricis conscripsit. Sunt præterea in hoc libro præclara multa, sine quibus, in Astrorũ scientia, alijsq; Mathematicis disciplinis, haud facile excellere poterit quisq;. Quocirca admiratione dignum est, fuisse quosdam qui huius doctissimi uiri labores, tanquàm ingenij sui fœturas, sui nominis inscriptione, suppresso interim nomine Regiomontani publicare non erubuerint, secus facientes, quàm facere decet bonos uiros. Mihi quod facio, conscientia satisfacit, neq; alienis plumis ornatus alijs placere uolui aut studui unq;. Scripsit eiusdẽ argumenti librũ, uir doctissimus Georgius Peurbachius, præceptor olim Regiomontani nostri, quem in præsentia huic editioni adiecimus, cum quòd discipulum cum magistro suo conferre pulchrum esse putamus, tum quòd omnes bonarum artium studiosos, ad horum uirorum inuentiones, ut sedulo legant, inuitarẽ. Id uolui ne ignorarent studiosi. Ipse hoc potissimũ ago in hac editione, ut Regiomontano, à quo in hisce studijs meis nõ parum sum adiutus, tanquàm ueteri colono, sui restituantur agri. Quam uoluntatem, nemo est, opinor, inter doctos, qui improbare uelit. Vale in Domino, & studia nostra excello animo prosequi non graueris Norimbergæ anno Christi 1541.